

Irato risu , atque joco , dulcique lepore ;  
 Quæ , si quid vates promimus aero  
 Delatum ex Helicone , aures quod mulceat apte ,  
 Quodque animum pulchris lactet imaginibus ,  
 Continuo id totum spernitque , ac despuit , & nos  
 Nil narrare nisi insomnia vana putat :  
 Nil nisi falsidicis mendacia texere verbis .  
 Jupiter ! ut facies extima fæde homines  
 Ludit ! qui penitus tamen omnia cernere se se  
 Rentur , vique acris dispicere ingenii .  
 Vana etenim in speciem quæ sunt mendacia , condunt  
 Sæpe bonæ multum frugis ; & utiliter  
 Occultant vitæ quod prospicit , pandere verum  
 Quod possit , mores quod regat , ingenuum  
 Quod certe adsparget factis , dictisque leporem ;  
 Ne pulchri , atque faceti omne genus vitiet  
 Ille iterum squallor Saturnius , & grave virus :  
 ( Di talem longe avertite perniciem )  
 Et vita ad glandes redeat , mosque ille ferinus  
 Asperet humanum , dissocietque genus .  
 Quem contra morem certum est pro parte virili  
 Pugnare , atque istis , Pieridum studia  
 Qui culpant , stulte sapientes , nolle placere :  
 Sed magis usque tuo fidere judicio ;  
 Usque tuum , hos inter , queis nil est cultius usquam ,  
 Pastores , carmen scribere ad arbitrium ;  
 Tecum Mænalius , vatum nemora ardua , saltus  
 Lustrare , ac sedes visere Apollineas ;  
 Pulcher ubi veteris Jani mons , dictus ab auro ,  
 Dat gelidum doctis cœtibus hospitium ;  
 Gramineique tori subter , circumque , supraque ,  
 Et myrti , & lauri , flexipedesque hederæ ,  
 Rivus ubi , summo qualis de vertice Pindi  
 Murmurat illa cadens nobilis unda pede ,